


1612

...  
XIV





A. D. T. O. M.

DE

APOSTOLIS,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO IUSTO-  
RUM COLLEGIO,

PRÆSIDE

*VIRO Nobili & Excellentissimo*

DN. SAMUELE *אזרעאל* U. J. D.

ET P. P. CURIAE ELECTORALIS, FA-

CULT. JURID. ET SCABINATUS ASSESSORE  
DIGNISSIMO,

*Preceptore & Patrono suo honoratissimo,*  
disputabit.


GOTTFRIED Herwig / ASCAN. SAXO.

*ad d. 11 Febr. Martij.*

\*\*\*\*\*  
VVITTEBERGÆ,

EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN, M DC LIV.





Handwritten mark or signature, possibly a date or initials, located near the center of the cover.





Guberna Hallucinantem Altissime !

## PARASCEVE

**O**ppressos aut iniquitate aut Judicum imperitiâ dignioris magistratus dignos esse auxilio, ratio communis dicitur. Unde Beneficium Appellationis, quod usus magis ac necessitas, quam lex quaedam certa introduxit; hoc origine vetustissimum esse, vel historia Horatii apud Livium, qui à Duum-Viris ob interfestam sororem perduellionis reus factus ad populum provocavit, testatur. Hujus Remedii Appellationis, quo causa consulitur vulnerata, materiam, subtilitate sanè exuberantem, pulchritudine sui præstantem, forensi deniq; militiæ accommodatam & cognitione utilem pro angustiis ingenii possessiunculis, ad collationis incudem revocare se debet primò: Verum prolixitatem ejus & plurimum, qui in themate hoc elaborando sudârunt ex votoq; absolutum illud dedêrunt, intuitus curas extantes, crenam malui retinere, quam paginas aliorum laboribus (quod factu à alioqui facile esset) augere nostras & volumen disputationis vice, contrâ disputationum academicarum legem exhibere; illam tamen ipsam planè dimittere intactam nolui, sed in ejus portiunculâ, eâque haud ignobili, amavi persistere. Cum enim in Appellatione quatuor præprimis attendenda veniant tempora seu Fatalia; Primum ut intrâ decendium à die late sententiæ ea interponatur. Secundum, ut post interpositam provocationem intrâ triginta dies petantur APOSTOLI; Tertium ut Judex, ad quem provocatio facta est, eam pronunciet legitimam vel non; Quartum deniq; tempus est, ut quis inttâ anni spatium appellationem prosequatur & finiat, aut, svadente justâ ac prægnantè causâ, intrâ biennii meram; quod tamen consensu partium fieri potest prorogabile. Al-



rum igitur horum fatalium nim. APOSTOLOS mihi selegi,  
quare B. C. D. pono.

THES. I.

Origo  
vocabuli.

Apostolus originatione græcum est vocabulum à præpo-  
sitione ἀπό super &, uti ex Card. Alexand. explicat Robert. Ma-  
rant. Spee. Aur. part. 6. tit. de Appell. n. 226. pag. 503. ἀπολή missio, ut  
ita Apostoli sint, quasi literæ missæ ad Superiorem: at rectè,  
ut puto, taxatur à Bachov. ad Treul. vol. 2. disp. ult. th. ult. lit. E.  
ἀπολή etenim nō significat missionē, sed amictū, vestē, indumētū;  
alias quoq; aliorum appellationes examinat breviter Bachov.  
d. 1. Illud tamen certum est, quod deriventur Apostoli à  
græco verbo ἀποσέλλειν, quod significat demitto. Beneficio  
quippe illorum, acta causæ, à primo Judice, ad secundum de-  
mittuntur, ut de causâ instrui possit. Calvin. in Lexic. vocab. A-  
postoli.

II.

Homony-  
mia.

Hinc statim ad oculum patet cuilibet de quibusnam hîc  
loquamur Apostolis, nempe non de iis nunciis qui destinantur  
ad homines vel à DEO, uti sunt Angeli, Prophetæ & Apostoli  
propriè ita dicti, cujusmodi duodecim missi à Christo sunt  
ad prædicandum Evangelium cum potestate sanandi morbos  
ejiciendique dæmonia, quorum consideratio principalitèr  
& primariò ad Theologiæ litantes spectat; vel ab hominibus  
ad homines, puta quando iis, qui non ex alterius nutu  
& potestate dependent, nec superiorem recognoscunt ullum,  
Legatum publico negotio conficiendo solennitèr mittunt,  
quem Ambassiatoré salutari quotidie audimus, qui sanctus est  
& inviolabilis, l. fin. D. de legationib. nec ultrà mandatum lici-  
tè quid tractat, nisi literis credentialibus consveta apposta  
fuerit clausula: *Cætera tuæ prudentiæ & discretioni committi-  
mus.* Gail. lib. 1. de P. P. cap. 4. n. 30. Sed de literis, quas post appel-  
lationem interpositam Judex, à quo appellatum est, dare debet  
ad eum, qui de appellatione cognoscit, quas vulgò *Apostolos*  
appellitant.

III.

III.

Et Synonyma sunt Apostoli & literæ dimissoriae *l. un. D. de Libell. dimiss.* Libelli dimissorii *l. 106. D. d. V. S. appellatorii l. 1. §. fin. l. 5. §. fin. D. de Appellat.* germanico idiomate dicuntur: **Abschied oder Bekenntniß Briefe.** Synonyma.

IV.

Describuntur ergò, quod sint literæ quædam, à Judice à Quo seu inferiori ad Judicem ad quem seu superiorem (qui cogniturus est de causâ totius appellationis) datæ, vel quibus totius appellationis negotium breviter narratur. *l. un. D. de Libell. dimiss. c. 24. & 31. caus. 2. q. 6.* si Judex Inferior appellationi detulit dimissorii dicuntur Apostoli, si non, refutatorii: at omnes testimonium obsequii adversus superiorem præstare ament. Unde, etiam si Judex dubitet, an petitioni deferendum sit, tamen dari debent *c. l. de Appell. in 6.* Unde & reverentiales dicuntur quibusdam, ceu ex seqq. patebit. Descriptio.

V.

Species Apostolorum sex vulgaritèr constituuntur; *conventionales*, **Bereinigte Abschieds briefe** / qui sunt, quas pars admittit sive in judicio judice refutante, sive tacete extrajudiciu. *oblatæ 57. X. d. l. & datur vel ab Appellato vel à Notario*, *Wehner. Pract. Observ. vocab. Abschieds Brieff.* Species Apostoloru.

VI.

Testimoniales, **Zeugnis Brieff / Vortweis briefe** / ita dictæ, quod testificentur de appellatione, factâ coram Judice vel publicis & honestis personis ac fide dignis, quod sit cû dare Judex recusat Apostolos, aut ipsius non potest haberi copia *c. ult. X. d. l. c. pastoralis 11. in fin. X. de Off. Jud. Ordin.* hosque dare solent Notarii, quando coram ipsis atque testibus appellatio fuit interposita, quæ vi *Constitutionis Sax. p. 1. c. 20.* sustinetur;



tur; Qui tamen Apostoli improprie dimissoriae literae vocantur, licet fungantur earum vice, nec usque adeo necessariae sunt, cum satis sit eas petitas esse, licet iudex dare recusaverit. *d. l. un. in fin. D. h. t. l. 6. §. super his 3. C. de Appellat. Goedd ad L. 106. D. d. V. §. n. 4.*

VII.

Cum coram Notario Appellationem fieri posse dictum sit, non incongruum erit quaerere, an praecise testes requirantur in tali appellatione? quod omnino propter majorem fidei negandum haud est. Soli etenim scripturae Notarii absque testibus non creditur. *Novell 44. in Praefat. Nov. 73. c. sed et si quis aut mutui instrumenta, Dn. Carpz. ad d. const. 20. def. 2. per tot. Moller. n. 2. & seqq. & Notarius ut immatriculatus sit in iudicio Camerali requiritur per Ordin. Camer. tit. 39. in aliis sufficit creatus.*

VIII.

*Dimissorii specialius ita dicti sunt, quibus Iudex appellationi defert, & sic partem a sua potestate & Iudictione dimittit, ad eum, ad quem provocatum est, d. l. un. D. hic atque dantur a Iudice, Wenn der unterrichter die Appellation zu lest und überschickt Wehner. d. l. Termin. Process. Judic. cap. 30. n. 22.*

IX.

*Reverentiales, Ehrhafftige/ quibus Iudex appellationem concedit in Superioris, ad quem provocatum est, reverentiam & honorem c. cordi de Appell. in 6. unde & honorarii vocantur; & hos valde in usu esse testatur Wehn. d. l.*

X.

Sunt etiam *Apostoli Restitutorii*, quibus Iudex revocat gravamen a se appellanti illatum *c. cum cessante 60. X. de Appell. ibiq. Gl. & in cap. ex parte 67. X. eod.* at unquam datos fuisse dubitatur *ab Adamo Volckm. in Inform. Notar. p. 2. tit. 15. n. 12. fol. 403.* in usu praecipue Reverentiales, Refutatorios, & testimoniales esse affirmante.

XI.

XI.

*Refutatorii apostoli* statuuntur, quibus Judex ostendit Superiori appellationi ceu injustæ, deferendum non esse & ita eâ refutat, unde dicuntur germanicè **Ubschlägige und wiederlegige** Apostel *vid. l. fin. §. in refutatoriis 1. C. de Appell. Hillig. D. E. lib. 28. c. 7. lit. O.*

XII.

Unde appellationi manifestè frustratoriæ non est deferendum, putà si appellatur in crimine notorio, & talis appellatio repellitur & à jure & à Judice quocunq; Notoriū enim est indubitata rei certitudo, quæ ita se vulgò exhibet, ut negari non possit; & in notoriis non expedit cognoscere vel sententiam proferre: Sed exequi vel punire *can. manifesta 15. can. de manifesta 17. caus. 2. q. 1. c. evidentia 9 X. de accusat. Dn. Carpzov. Pr. Crim p. 2. q. 95. n. 84.*

XIII.

Sic qui ad solvendum debitum manifestè convictus est *l. f. C. quorum app.* non admittitur ad appellandum. In debitis quippe liquidis practicatur *τὸ Solve, quod debes,* propter utilitatem publicam, ut homines liberi sint à debitis litigiosis; & ratio hujus insuper est perspicua, quia talis appellatio non posset dici remedium atque defensio oppressorum, quibus alibi appellationem succurrere diximus; nec sententia in melius: sed deterius reformaret; lites prolongaret denique, haut abbreviaret, cum tamen omnis Judicii frustratoria dilatio veniat amputanda, nè lites penè immortales & vitæ hominum modum excedant *l. 13. pr. C. de Judic.*

XIII.

Manifestè igitur probabilis sit appellatio, & justâ causâ vestita, necesse est, si admitti & judice & à jure debet: nisi hæc fortean cum clausulâ datâ sit: *Appellatione remotâ l. 1. §. 4. D. à quib. app. non lic.*

XV.

## XV.

Quis Apostolos petere teneatur, sciri haud difficultè, ut puto, ex dictis potest. Omnis n. qui appellationem justo ac legitimo modo interposuit, petit quoque Apostolos. Unde his immorari justo diutius nihil attinet.

## XVI.

Tempus  
petendi  
& recipi-  
endi.

Tempus, intrà quod petendi sint, venit indagandum. Sciendum igitur est & petitioni & receptioni Apostolorum præstitutos esse XXX. dies l. 24. C. de App. Nov. 126. c. 3. c. ab eo 6. X. ed. in 6. Berl. p. 1. concl. 50. n. 117. Gail. 1. O. 139. n. 15. Myns. C. 4. O. 36. in pr. & quidem continuos gl. cap. non solum de Appell. in 6. olim poterant peti intrà quinque dies Paul 5. Sentent. tit. 34. Zoës, in Comment. ad D. h. t. n. 1.

## XVII.

Sufficit a. petere eos instantè & sæpius intrà dictos 30. dies vel etiam possunt peti sæpius & instantè uno contextu clem. quamvis de Appell. Si autem n. iudex requisitus eas impartiri recusat, appellans de sua protestari potest diligentiam d. l. an. §. ult. & d. c. 6. Majer Colleg. Argentor. p. 2. lib. 49. tit. 4. n. 7. pag. 1839. quod faciet ad hoc, nè appellans, si intrà dictum temporis spatium non petat nec recipiat Apostolos, censeatur appellationi renunciasse, eaque ob id efficiatur deserta, quod fieret omninò, Marant. p. 6. act. 2. n. 219. ac perindè habeatur ac si nunquam fuisset interposita c. licet 14. de sentent. excommunic. in 6. l. 6. §. 1. de his qui notantur infam. fingiturque nihil antea actum. Impartuntur a. expensis appellantis & petentis non iudicis, quam conclusionem dicit communem Maranta & veram d. l. n. 224.

## XVIII.

Ex hoc fonte quæstiones promanant haud adeò leves, sed de quibus ferra Dd. valdè reciprocatur. 1. Utrum à latæ sententiæ vel die appellationis interpositæ currere incipiant isti triginta dies? Breviter Resp. à die latæ sententiæ scienti numeran-

tantur d.l. 24. C. de Appell. gl. ad l. un. D. h. t. ita ut in his contine-  
atur etiã decendiũ inter quod appellationẽ interponi cõstat d.l.  
24. Mynf. Cent. 4. Obs. 36. Zang. de Except. p. 2. c. 20. n. 2. à die v. sciẽtiæ  
currũt ignorantĩ, quã sententiam iterũ comunẽ pronunciat  
Marant. d.l. n. 220. vid. quodq. Dn. Carpz. p. 1. c. 20. def. 7. n. 4. 5. & 6. Tu-  
tius tamen est, ut disputationum ansa præscindatur, Apostolos  
statim in ipsã appellatione peti Clem. quamvis 2. post pr. de ap-  
pell. Dn. Carpz. d.l. n. 7.

XIX.

2. Utrum illi ipsi 30. dies currant de momento in momen-  
tum? Aff. quia hora quã sententia lata fuit, videtur computari,  
Majer Colleg. Argentor. d.l. n. 8.

XX.

Quod dictum est, th. 17. Apostolis certo & præfinito tem-  
pore haud petitis, intelligi renunciatum appellationi, eamque  
pro desertã haberi, hoc etiam, si in termino appellans, quem  
ei Iudex eorum accipiendorum causã statuit, non compareat,  
eosq; recipiat, obtinere dicitur, vid. d. c. ab eo & Clem. quamvis,  
Job. Barthol. Reusnerus in suã disp. de Fato Inaugurali th. 171. Dn.  
Carpz. p. 1. c. 20. def. 8. Ubi ita pronunciatum fuisse refert. Sue-  
curri tamen in his rusticitati quidam existimaverunt, quod non  
omnes hunc juris Processum norint Guid. Pap. tract. de Appell. q.  
4. alleg. à Majero Colleg. Argentor. d.l. n. 7. Id tamen incertum  
esse putat Alciatus in Compend. Process. Judic. p. 217.

XXI.

At hoc consentiens Dd. placitum est, pauperibus (quales  
ex vitã sustinendã adminiculis æstimabit iudex Berl. p. 1. Concl.  
7. n. 89. & seqq. Dn. Carpz. p. 3. c. 13. d. 21.) ne ob defectum sumptuum  
de jure suo periclitentur, ea, quã sumptus requirunt, ut Fatalia  
introducendã & prosequendã Leuterationis vel Appellationis  
non currere, ut nec interponendã, si iudici primã instantiã  
de paupertate constiterit Gail. O. 142. quem allegat Excellentiss.  
Dn. D. Suerus Præceptor meus & Patronus honoratissimq; disp. suã in-

B

augu-

Appellans igitur (qui & appellator, & contra quem appellat ad judicem superiorem, appellatus dicitur *c. 26. §. si autem c. 44. pr. X. d. t.*) illo, quem judex præstituit petendis Apostolis, die, haud dormiat, sed, ne sibi iste præterlabatur, vigilet. Si autem judex certo tempore requisitus Apostolos haud communicaverit & alium diem iterum indixerit, sequens eos tributurum certo die præfixo pollicitus fuerit, nec tamen fecerit, appellans haud redire & Apostolos ultra binas vices petere obligatur; quia appellantis diligentiam abuti Judex non debet, *d. clem. Leges enim appellationi, licet non judex, deferunt l. quoniam judices 21. C. de Appell. l. ei cuius 5. pr. D. de Appell. recip. vid. disp. Inaug. Albbardi de process. secunda de Inst. th. 9. inf.*

Quid a. si Judex à quo nullos det libellos nec dimissorios nec reverentiales nec refutatorios, videtur à Apostolos denegasse vel dedisse? quæstionis hujus insignis est effectus. Etenim si tacens Judex pro expressè habetur consentiente, nullam interjectam moram appellationem suam prosequi poterit appellans, nec opus erit ulteriori requisitione, **Er darff nicht ferner um Aposteln anhalten/** si modò instrumentum appellationis taciturnitatem ejus contineat. Sicut enim de expressa constare concessione debet: ita & de taciturnitate, quæ pro consensu expresso habetur & causa est prosecutionis; sin pro dissentiente, iterum probata taciturnitate, nullis ulterius peritis Apostolis appellationem prosequetur, ceu mens est *Reguli in Processu c. 30. allegati à Quirino Kubach. atq; ab eodem refutati qq. illustr. Politico-Jurid. Cent. 3. Dec. 5. q. 2.* Cujus Kubachii sententiam amplectimur & tacentem nec pro negante nec affirmante habemus *l. qui tacet 142. ibiq; Phil. Matth. de R. J. c. qui tacet 34. eod. in 6.* Sed deliberante, adeoq; apostolos

los ulterius petere appellans tenetur *arg. d. l. un. §. 2. h. t. c. ab eo 8.*  
*de appell. in 6. plura nec tit. Kubach. d. l.*

XIV.

Ex dictis, puto, constare, de Jure communi appellatorem teneri necessariò apostolos petere, per sæpius alleg. *cap. ab eo 8.* nec hoc assertum ratione planè destituitur. Sunt etenim illi pars appellationis *Marant. S. A. p. 6. Act. 2. pr. n. 417.* deq; eius formâ, *Specul. tit. de Apostolis ibi: sequitur videre n. 12.* Unde suprâ dictum *th. 17.* præscriptum intrâ tempus iis non petitis reddi appellationem desertam per text. *in d. clem. quamvis 2. de app.*

XXV.

In aulâ Electorali Saxon. aliisque Dicasteriis terminus est unius mensis **Wittenberg** *H. D. tit. Wenn vnd wie appellation statt habe. Carpz. p. 1. c. 20. def. 7. n. 3.* à die, quo apostoli dati fuerunt, computandi *Berlich. part. 1. conclus. 50. n. 135.* in Schlesien/ Lausnitz und andern mehr Orten/ stehts bey dem Appellanten/ ob er Aposteln bitten will oder nicht/ non veretur audacter scribere *Adam. Volckm. p. 2. c. 64. n. 5.* Sed *Dn. Tabor*, quoad Lusatiam suam testatur repugnare *R. A. D. p. 4. Sect. 10. ibi: soll nachmals innerhalb 30. Tagen umb Apostolos im Amte angehalten werden: Die dem Appellanten gebührlich zu ertheilen/ peculiari disp. de Judicis offic. Sect. 4. c. 2. §. 2.* Nec in Marchiâ Apostolorum petitionem, si sc. à Judicib. inferiorib. puta à Judiciis oppidorum ad Camerale judiciû Potentissimi Electoris appelletur, omitti, testis est *Consuetudinum Marchicarum scientissimus Scheplitzius p. 2. tit. 8. n. 9.*

XXVI.

Principalier quoque ad formam appellationis requiritur, ut, à quo appellatur, iudex appellanti certum & congruum, tempus statuât, intrâ quod se cum petitis literis dimissorialibq



praesentet iudici ad quem, & appellationem coram eodem in-  
 troducat & inhibitionem ad iudicem à Quo impetret l. 5. C. de  
 Appellat. Roschütz in Proc. c. 39. n. 12. Termin. c. 230. n. 24. Quod  
 licet jure communi haud certum, sed discretioni committa-  
 tur iudicis, ob rationes quas reddit Dn. Carpz. d. l. def. 9. n. 3. & 4.  
 Berl. p. 1. corol. 50. n. 122. tamen in foro Saxonico certum tempus  
 nempe integrum mensem praestitutum invenimus Ord. Appell.  
 Elect. Sax. cit. **Von Appellation wie die angenommen**  
**post pr. vers. auch darinnen den Appellanten eine**  
**Monatsfrist** vid. Carpz. d. l.

### XXVII.

Praefigere itaque iudicem à quo certum tempus appellati-  
 oni introducendae posse ex dictis c. 5. & c. oblat. 57. X. de Appel-  
 lat. patet: at non praefigere tempus ad proponendas exceptio-  
 nes, quia hoc foret se immiscere iis, quae spectant ad iudicium  
 superioris Zoes. in Comment. suo d. l. n. 3. Quaestio hic agitur,  
 An, si appellans appellationem coram superiore introducere  
 intra praefinitum tempus negligat, appellatio ita censeatur de-  
 ferta, ut amplius eam prosequi nequeat? Sunt qui lapsum praefi-  
 xi temporis hoc tantum operari volunt, ut sententiam quidem  
 iudex à quo exequi possit, non tamen & habeatur deserta ap-  
 pellatio: at bene respondet ad hoc Zoes. d. l. nempe istam re-  
 strictionem non admitti verba c. 44. & 5. X. de App. Si enim ap-  
 pellatio, quae claudit manus iudicis à quo, est salva, qui poterit  
 exequi sententiam? Zoes. d. l.

### XXIIX.

Atque ita omnibus praescripto modo deductis appellans  
 ostendit iudici, formaliter & rite servato ordine juris appella-  
 tum; Unde ille postea super formalibus hoc modo pronunciat:  
**Nus ergangener Rechtfertigung eingewendeter**  
**appellation erscheinet so viel daß dieselbe der**  
 for-

formaljen halber beständig auch derhalben diese  
Sache ahn Uns erwachsen und devolviret, auch  
billich nunmehr ihre Rechtfertigung allhie nim-  
met. Termin. d. l. n. 27.

XXIX.

At quid Iuris est in Consistorio Camerali quod Spiræ  
est? ibi non de Substantiâ Appellationis habentur Apostoli  
*Majer. d. l. n. 9.* sed impune omittuntur *Vultej. Iurispr. Rom. lib. 2. c.*  
*33. §. sunt a 32.* Nam constitutione Imperii liberum relinqui eos  
petere vel non petere testis est omni exceptione major *Gail. 1. O.*  
*139. n. f. vid. quod, Nicol. Vigel. method. pract. Obs. Camer. Imp. l. 2. c. 17.*  
*Reg. 11.* & id ipsum clarè comprobant verba *Ordin. Cameral. tit.*  
*30. §. 1. p. 2.* Damit auch gefährlichkeit in vollführung der  
Appellation, so an dem Kayserl. Cammer Gerichte  
beschehen/sürkommen/ soll einem jeden Appellan-  
ten frey stehen nachgethaner appellation apostolos  
zu bitten oder nicht. Libellis igitur & actis (quæ nonnū-  
quam loco apostolorum dantur) à iudice à Quo nec dum præ-  
stitis, nihilominus Iudex ad Quem, appellationi, modò supplica-  
tionis narrata bene sint qualificata, deferet, idq; in praxi ita  
observari tradit *Petr. Frid. Mindan. de Process. in Cam. extrab. lib.*  
*1. c. 7. n. 8.* Ubi subnectit, quod in iudicio camerali compulsori a-  
lia pro actorum editione, haud facile concedantur, nisi suppli-  
cans doceat, requisitionem pro edendis actis diligentissime &  
legitimo modò factam esse *p. 2. Ord. tit. 30. in pr. Mind. d. l.* quod  
a. etiâ *Mindanus* ibi asserit Iudicè, appellatorè haud petente,  
præstare Apostolos tenere, vix subsistere poterit, quod petenti  
forte demonstrare allaborabo in conflictu.

XXIX.

Hactenus dictum est de Apostolis quæ Scripto commu-  
nicantur: at & sine scripto dari posse dubietatis nihil habet.  
*Dn. Tabor in suprâ allegat à disp. sect. 4. cap. 2. §. 2. ad hoc adducens P.*  
*Frieder. lib. 1. c. 7.* Responsa enim hæc iudicis à quo: Er müsse

B 3

es



es geschehen lassen / er lasse die appellation zu / er  
müsse ob reverentiam superioris Damit zu frieden sein  
&c: vicem apostolorum supplere possunt. *vid. Meur. Hammer-  
gerichts process. p. 2. n. 165. Mind. d. l. n. 10.*

XXX.

Loco autem refutatoriorum sunt hæ formulæ dicendi :  
*nullam esse appellandi causam, in nullo eum esse gravatum, provocatio-  
nem meram esse malitiam, licere appellationem, prosequi  
si velit incurrere poenam temerè appellantium, ceu*  
has formulas adduci consuevas legi cumulas à *Mind. d. l.* in-  
junctio partitionis, quin & editio actorum & petitio, apostolo-  
rum vice sæpiculè sunt, uti jam innui *th. 37. Calvin. Lexic. Ju-  
rid. in voc. Apostoli.*

XXXI.

Ob datos a. Apostolos refutatorios appellans timere sta-  
tim suæque causæ diffidere non debet : Sed acceptis iis adeat  
iudicem superiorem, ei gravamina & causas, quæ ad appellandū  
impulerint, proponat, petatque decerni inhibitionem inferi-  
ori; nec abnuit Judex superior justa appellandi causâ depre-  
hensâ *Mynf. C. 3. O. 35. per tot. Berl. d. l. n. 127. vid. etiam Dn. Carpz p.  
I Const. 20. defn. 6. n. 4.*

XXXII.

Quia *th. 30.* mentio injiciebatur poenæ temerè appellan-  
tis, sciendum est jure Civili aliquam appellantem frustratorie  
& frivole mereri *l. 6. §. 4. l. 19. C. de Appell.* Licet varient *Interpp.*  
quænam illa fuerit *Berl. d. l. n. 206. & seq.* At dubio hæc res caret  
omni de *Jure Sax. vid. Dn. Carpz. d. l. def. 29. Berl. d. l. n. 121.*  
hodiè temerè appellans tantum damnatur in expensas *vid.  
Matth. Wesenb. w. tit. de appell. n. 11.* juxta dispositionem Juris  
Canonici *in cap. ut debitus 59. sub fin. X. de appellat. & c. 5. eod. in 6.*  
hujusq; frustratorie appellationis executionem tam de jure  
Canonico quam Saxonico Judex à quo expedit *Coler. de P. E. p.  
2. c. 1. n. 117. per d. c. ut debitus.* Multandus quoque judex est, si A-  
postolos non dederit *l. 24. C. de Appell.* & si per ejus moram de-  
curso tempore sententia prior confirmata fuerit, damnum co-  
gitur parti refundere *Zoës. d. l. n. 2.*

Quid Cō-  
tineant A-  
postoli.

XXXIII.

Quid singulæ Apostolorum species continere debeant ul-  
timæ

timæ esset jam considerationis : Verum cum passim Formulæ  
extent, præprimis ap. *Volckm. p. 2. tit. 15. cap. 65. 66, 67. easq; Ma-*  
*gnif. Dn. Ordinarius Jeremias Reusnerus p. m. in Collegio practico*  
*form. 45, 46, 47. & 48. fidelitèr tradiderit, labore exscribendi su-*  
*per sedens receptui cano.*

### XXXIV.

Sicubi errorem commissum quis esse deprehenderit, ve-  
niam spero à quoque; Nam non omnia scivisse peccatum veni-  
ale est. Et ut in ludo pilæ alterius est commodè mittere, &  
alterius, si quid erratum est, quam bellissimè excipere & arte  
corrigere : sic putatur lectoris æqui flectere quædam in beni-  
gniores partem; sit pro hoc

**G**loria **H**onorque **A**ltissimo!

### ADDITAMENTUM.

**J**us & privilegium litis provocatoriæ nescium Domui Saxo-  
nicæ adeòq; & Saxoniam Ducibus indultum est, quibus Nobi-  
les Francœnici in districtu Coburgensi se privilegio huic ne-  
quaquam obstructos contendentes, litem movent nequic-  
quam; quod privilegium de non appellando Serenissimo quo-  
que Brandenburgico Electori, tenore A. B. competit.



**U**t nulli, tantum qui spectat prælia segnis,  
Verum pugnant dignus habetur honos :  
Sic non, Parnasso qui stant sub monte quieti:  
Sed modò qui superant Pallas honore beat.  
**HERWIG** Iquare meritò superare laboras,  
Nec deerunt quondam præmia digna Tibi.

f.  
**PRÆSES.**

*Ad*



**R**espondere vales objectum ad quodq; disertè;  
Os populi hinc credas Te meruisse bonum.  
Magna hæc est hominis Virtus, ac digna lapillis  
Quos è caruleis India mittit aquis.  
Scribo, quod audivi: quod novi, profero: *Præses*  
*Pro Respondentis dote favere potest.*

*Exigua hæc in honorem Amici sui sincerissimi  
scribebat raptim*

M. POLYCARPUS LEONHARDUS

**Rechtenbach** / Islebiensis  
Saxo.

---

Ad Clarissimum

DN. RESPONDENTEM.

**V**ivida vis Mentis nunquam lassata quiescit,  
Quod tentet semper, quod meditetur, habet.  
Atq; tui haud cessant fervores, *Fautor*, & ore  
Non satis est Cathedram jam caluisse tuo.  
Pergis adhuc: Themidos rursus nam pulpita scandis,  
Ostentas trepido telaq; certa REO.  
Differis argute, scriptis queis cuncta secundum.  
Festino dictus Iudicis ore Nocens  
Indigeat, cupiens iteratæ appendere lanci  
Acta: ac quæ Sontum Bella domare queant.  
MUSA, MINERVA, THEMIS tibi sunt Amor atq; voluptas,  
Te redamant, tollent MUSA, MINERVA, THEMIS.

*deproperabat*

THEODORUS PREIBISIUS



DA A 6620


ULB Halle  
002 937 557


3



DA 17







B.I.G.

Farbkarte #13

58.

A. D. T. O. M.  
*DE*  
**APOSTOLIS,**  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO JCTO-  
RUM COLLEGIO,  
PRÆSIDE  
*VIRO Nobili & Excellentissimo*  
DN. SAMUELE *ᚱᚹᚹᚹᚱᚱ* U. J. D.  
ET P. P. CURIÆ ELECTORALIS, FA-  
CULT. JURID. ET SCABINATUS ASSESSORE  
DIGNISSIMO,  
*Præceptore & Patrono suo honoratissimo,*  
disputabit  
GOTTFRIED *Hervwig*/ ASCAN. SAXO.  
*ad d. 11 Febr. Martij.*  
\*\*\*\*\*  
VVITTEBERGÆ,  
EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN, M DC LIV.

